

III.

NEOVIDENSIS

Nro. 17. (*Neovidensis* 1808. Nro. 13.)

*Secretum litterarum commercium Vivos inter
et fati functos*

Cubicularia puella Matri in Elysium.

Elysium-Meum. - Die Martis, I Marc. 1808. (Neov. 9, Feb. 1808.)

Quanta quamque inexpectata res mihi,
cara Genitrix! nuper legi litteras ex Campis
Elysiis, ex iis intellexi: vivos cum vita functis
commercium litterarium fovere; qua id via,
quo item cursore perficiatur, ignoro equi-
dem, at certum nihilominus est, id genus
commercii obtinere.

Occasionem proin ambabus ut ajunt,
ulnis arripio tibi Cara Genitrix! scribendi;
heu! e heu! ut res meæ se habebant! ex quo
Domina mater vivis excessit, vitam egi apud
patrum, cauponem in diversorio ad bo-
num virum adpellato, cum sorore mea; di-
dici apud eum artem coquendi, & oeco-
niam administrandi. Dominus terrestris cu-
ram nostri habuit, & Domina Comes statio-
nem Cubiculariæ mihi contulit; meque in nen-
do, suendo, acu phrygia pingendo, arte
scriptoria, aliisque similibus Cubiculariæ of-
ficiis eradiendam curavit — ex decennio igi-
tur in sensu cubiculariarum bene instructa
Cubicularia puella sum.

Adepta hanc stationem cœlum digito at-
 tigiſſe mihi videbar; at maturo ſi expendam
 iudicio: quid obſecro, eſt puella cubicularia?
 proponat D. G. animo perſonam, quæ
 a matutino tempore ad ſerum veſperum la-
 teri imperatricis ſuæ adhæret, quæ ſe ad-
 verſus capitis duritiem ſuæ illuſtris heræ & ſui
 heri defendendam habet, quævis aulae domi-
 nalis arcana, quasvis domus tricas, atque
 affectuum mutationes perſpectas habet & co-
 gnitas; quæ notabilem perſonam in Deſpo-
 ſitia domeſtica agit; contra vero: jam con-
 fidenter, jam litigioſe, jam omnibus tricis
 implicata, dies cum animi ægritudine exige-
 re cogitur. Hæc imago eſt puellæ cubiculari-
 æ; aut rectius, Deus mihi parcet! prout
 vulgo per convitium & immerito nuncupari
 ſolet *felicula cubicularia*.

Omnia hæc apud aliarum aularum Cu-
 bicularias experiri mihi licuit, hera noſtra
 omnium optima & præclariffima hera eſt,
 &, ſi ita loqui fas eſt, vera mater.

Interim 10 Anni ſunt, quibus ſervio,
 duo de triginta numero æſtates, & — adhuc
 in capillis! hæc meditatio cor, animumque
 exagitat meum; non audeo ei immorari; e-
 quidem nulli puellæ ſvadere audeo, ut in
 aula aliqua ſervitium amplectatur, in qua
 omnes officiales a Secretario uſque ad Proto-
 aurigam matrimonio illigati ſunt, hic nulla
 aſſulget ſpes adcommodationem vitæ obti-
 nendi — interim me numeroſi mares am-
 biebant, & inter eos officialis filius, qui ex

Universitate reversus mecum notitiam inivit; totus quantus, ut mihi narratur, *æstheticus* est, quam equidem vocem non intelligo, at non leviter succensui cum vice quadam me pulcherrimam *Tyndaridarum* vocitaret, & litteras ejusmodi Tyndaridales mitteret, quo ita animo commota sum, ut nec intueri eum amplius vellem; tum alias litteras mihi miserat, quibus fidem facere mihi adnissus: nomen *Tyndaridas* in sensu saltim sublimes æstheticum adhiberi; eo principem lyricorum vatum usum fuisse, dum, canit: *Una de septem face nuptiali digna fuit & in omne virgo nobilis ævum* — sed frustra — id genus Tyndaricum mariti non placebat; at vero vetula cubicularia puella — horridum nomen!

Venio nunc ad gravissimam totius vitæ meæ epocham — Mater animo dilecta meo! excipiat quæ nunc narrabo: aula urbem N. petebat, ad Bachi festa in ea celebranda, in loco diversorio hospitium accepimus, qui e celebratissimis habebatur, aula præcedebat, ego comite sene Camerario sequebar, & dum sero vespere adpelleremus, adcurrebat caupo, meque ad elegans conclave deduxit, pro foribus stabat diversitor, agebatque: Martine! cura ut pulchra hæc femina bonam cœnam aquirat; intuebar hunc Martinum, at superi! quid me factum! occulta quædam hariolatio omnes artus corporis mei permeabat.

Martinus, alacritate præstans, teretibus membris juvenis, nos ad cubile deduxit, cœnam attulit, modestiæ & gravitatis plenus;

nonnulla de oblectationibus Bachanalium nar-
rabat; postmodum lectum petebam, Caupo
Martinus menti meæ obversabatur; ubi di-
luxisset jentaculum attulit & *rosam* — prob
rosam in hyeme!

Dilecta mater! rem paucis expediam —
sciscitabar de Martino, omnes homines, cau-
ponis uxor, universa familia ei laudem im-
pertivere (vide Nro. 4 & 5 ex campis Elysiis)
Comes Domina una vice dicebat: eum cul-
tissimum omnium cauponum, quos in vita
vidit, esse; & Comes rationes quadam vice
exhibuit, quas de minoribus expensis in nos
erogatis faciendas habuit, & dicebat: Cau-
ponum adcuratum & perspicuum cauponem
in ducendis rationibus esse, & magis lucu-
lentum & exactum nostro rationum Exactore
— hæc erat aqua ad molam meam, dicere
volebam balsamum cordi meo.

Accidit vice quadam, ut Martinus cum
jentaculo iterum *rosam* adferret, & Domina
Comes forte conclavesubiret, quid agebat ea,
rosam? unde hoc tibi Elisa munus? --- Cel-
larius eam mihi, reponebam, adferebat; quid
Martinus? jam usque eo res processit, ego
obmutui. --- Audi sis Elisa! inquebat illa,
credo Martinum bonum esse Juvenem; soror
tua nubit Civico nostro Actuario, patruus tuus
jam senex est, & rei familiari absque proli-
bus & matrefamilias diu præesse nequit; ut
esset, si cauponam ad magnam aquilam cum
Martino conduceres? --- inter hæc me acriter
intuebatur; ego vero vocem effari non

potui; super hoc argumento, prosequatur ea, cum conjuge meo uberius agam, perspicio ex integro silentium tuum.

Jam in cerebro meo omnia sus deque versa. Martinus comparet ablaturus vascula jentaculi; ego ad fenestram stabam, rogabam eum, quot annorum esset? duo supra triginta & duorum mensium, virgo suavissima! respondebat, liceat quærere: quotnam numeret vestra Dominatio? duo de triginta subjungebam & 4 menses, at amabo, prosequerbar, curam non habuit sibi vitæ subsidia procurandi stabilia, an animum habet in ævum cellarium agendi? videat suavissima Elisa! reddebat is, sola & una est toto in mundo, quæ beatum me facere potest, 16 centenos Rhenenses per parsimoniam collegi, laborando par sum, fateatur ingenue juxta & perspicue, vellet ne in manus meas venire? ego stupebam, nec annuere, nec abnuere poteram, ille exspectatione suspensus ad januam substitit, oculos in me conjiciens; tandem vincebam meticulositatem meam, Martine! dicebam: de his alia vice loquemur; ille quasi metu solutus & voti damnatus basium manuum meæ indidit, & se proripuit --- hic depræsentis rerum mearum status est, Cara Genitrix! quæ futura conditio mea, propediem perscribam.

Postscriptum. Concubia nocte -- Dilecta Genitrix! alea fortunæ meæ jacta est; patruus advenit, & cum hero meo omnia ad liquidum deduxit. Martinus 4 post hebdomadis maritus est meus; cum eo diversorium ad

nonnulla de oblectationibus Bachanalium nar-
rabat; postmodum lectum petebam, Caupo
Martinus menti meæ obversabatur; ubi di-
luxisset jentaculum attulit & *rosam* — pro
rosam in hyeme!

Dilecta mater! rem paucis expediam —
sciscitabar de Martino, omnes homines, cau-
ponis uxor, universa familia ei laudem im-
pertivere (vide Nro. 4 & 5 ex campis Elysiis).
Comes Domina una vice dicebat: eum cul-
tissimum omnium cauponum, quos in vita
vidit, esse; & Comes rationes quadam vice
exhibuit, quas de minoribus expensis in nos
erogatis faciendas habuit, & dicebat: Cau-
ponum adcuratum & perspicuum cauponem
in ducendis rationibus esse, & magis lucu-
lentum & exactum nostro rationum Exadore
— hæc erat aqua ad molam meam, dicere
volebam balsamum cordi meo.

Accidit vice quadam, ut Martinus cum
jentaculo iterum *rosam* adferret, & Domina
Comes forte conclave subiret, quid agebat ea,
rosam? unde hoc tibi Elisa munus? --- Cel-
larius eam mihi, reponebam, adferebat; quid
Martinus? jam usque eo res processit, ego
obmutui. --- Audi sis Elisa! inquebat illa,
credo Martinum bonum esse Juvenem; soror
tua nubit Civico nostro Actuario, patruus tuus
jam senex est, & rei familiari absque proli-
bus & matrefamilias diu præesse nequit; ut
esset, si cauponam ad magnam aquilam cum
Martino conduceres? --- inter hæc me acriter
intuebatur; ego vero vocem effari non

potui; super hoc argumento, prosequebatur ea, cum conjuge meo uberius agam, perspicio ex integro silentium tuum.

Jam in cerebro meo omnia sus deque versa. Martinus comparet ablaturus vascula jentaculi; ego ad fenestram stabam, rogabam eum, quot annorum esset? duo supra triginta & duorum mensium, virgo suavissima! respondebat, liceat quærere: quoniam numeret vestra Dominatio? duo de triginta subjungebam & 4 menses, at amabo, prosequerbar, curam non habuit sibi vitæ subsidia procurandi stabilia, an animum habet in ævum cellarium agendi? videat suavissima Elisa! reddebat is, sola & una est toto in mundo, quæ beatum me facere potest, 16 centenos Rhenenses per parsimoniam collegi, laborando par sum, fateatur ingenue juxta & perspicue, vellet ne in manus meas venire? ego stupebam, nec annuere, nec abnuere poteram, ille exspectatione suspensus ad januam substitit, oculos in me conjiciens; tandem vincebam meticulositatem meam, Martine! dicebam: de his alia vice loquemur; ille quasi metu solutus & voti damnatus basium manui meæ indidit, & se proripuit ... hic depræsentirerum mearum status est, Cara Genitrix! quæ futura conditio mea, propediem perscribam.

Postscriptum. Concubia nocte -- Dilecta Genitrix! alea fortunæ meæ jacta est; patruus advenit, & cum hero meo omnia ad liquidum deduxit. Martinus 4 post hebdomadis maritus est meus; cum eo diversorium ad

magnam aquilam subibo, ejus herus vinorum aliquot vasa ei suppeditabit, ego 14 centenos Florenos collegi, ille 16 centenos, patruus œconomiam cedit, apud nos deget ad dies vitæ & nos cum sorore mea hæredes instituet, plus justo fortunæ ad semel, O cara mater! (historia verissima.)

Adcludo his aliquot novitates pro dulcissimo Genitore, quem in vivis agentem hisce animum oblectasse memini.

Londino de 21. usque 26. Jan. per Galliam. Die 21. h. m. Conventus Ordinum nomine regio inchoatus est. Provedta ætas & valetudo Suae Regiæ Majestatis ei obicem posuere, quo minus in persona Parlamentum adire potuerit, tribus Commissariis id aperiendi provincia data, quorum princeps Ill. Regni Cancellarius, qui nomine regis paræneticam orationem habuit — hæc oratio proluxa satis; Ill. Cancellarius in ea rationes adfert, ob quas bellum prosequendum est, & cur Anglia intermediationem Russiæ acceptare non potuerit; hæc intermediatio, ita loquitur memoratus Cancellarius, nequaquam a Sua Maj. rejecta est, at eadem animo convicta est, a Conventu Statuum & OO. probatum iri, eas a Sua Maj. non acceptatas usque et prius, quam ad ea adjuncta negotium adductum fuerit, quo fides constet: Russiam in eo statu fuisse, ut ceu partium studio vacans Intermediator in arenam prodire valeat, prius et antequam in argumento baseos et principiorum, secundum quæ Gallia ad tra-

standum propenderet, certior redditi fuerint. Porro innuit Ill. Cancellarius : --- nullas rationes superesse hostilem Imp. Austriæ agendi rationem defendendi, prout neque Regis Borussiae, et ipso illo temporis articulo, quo ambo legatos suos revocarunt, Sua Maj. nullam intuitu hujus agendi rationis declarationem percepit. Interim Sua Maj. nec uni, neque alteri horum imperantium querendianam præbuit.

Officiosæ paginæ Gallicanæ huic orationi hanc adnectunt animadversionem :

Novissimæ Assertioni : Angliam nullam hostiliter agendi rationem Austriæ dedisse, Monitor sequens adnotat. Aliquod misterium latet in hoc argumento, quod sola Austria declarare valet, aut Ministri Sux Britannicæ Maj. veritatem dicere non admittunt, aut cequant Parlamento Adnotationem Austriæ, quæ saltim æque energica ac perfecta est, quam Adnotatio Russiæ, aut vero, quod fide caret, legatus Austriæ aulæ suæ mandatum exequi neglexit.

Argumentum Austriacæ Adnotationis sequens erat : Aula Londinensis Intermediationi Russiæ denegativum responsum impertivit, quod per expeditionem in Selandiam confirmatum est; actio hæc omnia Jura naturalium Statuum attrectat, quæ officiosis insuper Declarationibus referata erat, principiis ab aliis magnis aulis receptis prorsus adversa ; --- quapropter aula Londinensis candide voluntatem declarare velit : **Tractationes secundum**

quibusvis Statibus, quorum interest, convenientia principia ineundi, deponci ceu prævium Britanniae sensorum argumentum ut Anglia a quibusvis adversus Daniam susceptis agendi rationibus recedat.

Fieri non potest, advertit Monitor, ut magis energica ratione se adversus usurpationes declarare possit. Si secretum Londinense Conclave causam querulandi Cabineti Vindob. ignoravit, ratio fortassis fuerit defectus voluntatis.

Ulteriora Londino de 26. h. m. texunt sequentia: -- Classis Rupesfort. nostrarum Classicularum vigilantiam elusit, quippe 6 navibus de linea et binis mediae molis altum ingressa est; quod ut primum Adm. Strachan intellexit, procul eam jam distare oportuit; medio nunciarum navium hic rumor propagatus. -- E vestigio Adm. Duckworth hostem insecutus, verum infelici fato commeatum exiguum naves continebant. Quævis Plymuthi morantes naves bellicae jussu accipere exemplo solvendi ad Gallicanam Classem comprehendendam.

Grænwichium navis adpulsit, quæ 23. Dec. Neo Eboraco discessit, eodem abitus sui die comperit: in quibusvis Americanis portibus Edictum generale esse: Interdicto adficiendas; circa 2. horam dum in sublimi *Sandy Hook* dicto ferretur, fragorem tormentorum audiebat pluresque videbat naves, quæ anchoras jecerunt, frætum petituræ.
